



Universitätsbibliothek Paderborn

Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi
decalogi Praecepto

Godeau, Antoine

Augustae Vindelicorum, 1774

Caput I. Vulgata legis exponitur notio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)



TRACTATUS IV.

DE
LEGIBUS.

SECTIO I.

DE
NATURA, ET DIVISIONE LEGIS

CAPUT I.

Vulgata Legis exponitur notio,

Lex, Sancto Thoma definiente, *ordinatio rationis est ad bonum commune ab eo, qui civitatem communitatis habet, promulgata* (1. 2. quæst. 90. art. 4.) Definitio hæc quatuor præcipuas Legis condiciones continet. Nam *primò* Lex agendi regula est, ejusque actus præcipere, & prohibere; actus isti soli rationi comperunt, unde Lex *ordinatio rationis* sit oportet. *Secundo* cum Lex stabilis norma sit actuum humanorum, quorum finis beatitudo, & quidem communis, illam *ad bonum commune* ordinari, necessum est. Non igitur omnia, quæ Deus, aut Princeps præcipit, stabilem Legis naturam habent. Dum unigeniti immolationem Abrahamo Deus injunxit; præceptum, non legem dedit. Similiter, Rex dum cuidam ministro, Ducem, aut

aliis privatis personis privato ex fine aliqua exequenda committit, præcepisse, non vero Legem Tulisse censetur. *Tertio* quia bonum commune, quod Rex respicit, non a quolibet, sed ab habente vires, & potestatem promoveri potest, solummodo ab eo, qui *curam communitatis habet*, Lex est ferenda. Unde Leges, quæ universum hominum genus stringunt, a Deo; quæ certam nationem, vel provinciam concernunt, a Rege seu Principe sunt conditæ; imo in terris, ubi Democratia viget, legislativa potestas penes populum, vel selectos ab ipso optimates manet: unde Isidorus, *Lex est, inquit, constitutio populi, secundum quam majores natu simul cum plebibus aliquid sanxerunt* (Originum Lib. 5. c. 10.) *Quarto* Promulgata esse Lex debet; homines enim in subiecta materia non solum dirigit, sed & ita obligat; ut transgressores culpæ, aut saltem pænæ reos constituat; nec culpæ, nec pænæ locus, quousque obligationis cognitio deest; quæ quidem primum per Legis promulgationem acquiritur. Hinc illud apud Gratianum: *Leges instituuntur, cum promulgantur* (c. in illis. dist. 4.) Quia Leges, dudum forsitan late, respectu subditorum a tempore, quo debite sunt promulgatæ, primum esse, suamque vim exercere incipiunt. Promulgatio hæc quoad Legem naturalem interna rationis suggestionem; quoad Legem positivam externa præconis voce fieri solet.

Legis itaque finis Bonum commune est: effectus obligatio in subditis: actus præcipui præcipere,

cipere, prohibere, punire. Præmia iis, qui Leges observant Deus aut Princeps non qua Legislator, sed qua beneficus Pater largitur.

CAPUT II.

Multiplex Legum subieitur divisio.

Legis Divisio prima est in æternam, & temporalem. Hæc in naturalem, & positivam & ista rursus in divinam & humanam dispelitur. Divina in scriptam & non scriptam, veterem, & novam; humana in Ecclesiasticam, & civilem distinguitur; quibus adhuc aliæ in affirmativam & negativam; in pœnalem & mixtam in prohibentem, & irritantem; in favorabilem & odiosam; in provincialem, & municipalem in Localem, & personalem cum communi subdivisiones accedunt.

Lex æterna (inquit Sanctus Augustinus *lib. 22. cont. Faust. c. 27.*) *est ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, & perturbari vetans.* Seu est ordinatio rationis divinæ, qua Deus ab æterno statuit quid creatura intellectualis conformiter ad suam naturam agere, quidve omittere debeat. Sicut Deus, ita & Lex hæc immutabilis est, semper in Deo manens. Notitia ejus, quæ homini, in tempore creaturae communicata fuit, *Lex temporalis* dicitur, quia una cum natura illi quasi indita, *Lex naturalis* vocari consuevit. Unde